



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XVI. De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. III.

Referuntur, & explicantur varii casus in specie, in quibus propter impotentiam coeundi, matrimonium dissolvitur, vel separatur, aut non separatur.

Videatur de his, quæ in variis capitulis, tam hoc, quàm sequenti §. & §. 5. examinantur, Auctor Meth. ubi etiam multa referuntur, de probatione hujus impotentiae, de triennio experientiae, de

juramento utriusque conjugis, & propinquorum, de impotentia, quæ supervenit matrimonio contracto, & nonnunquam dissolvit, quamvis copulatio fiat illicitam, de incisione fetendi, ratione arctitudinis, quæ omnia cum sit valde cautè intelligenda, ob gravia iudicia, rectius Auctoribus variis tractantur, quàm ut in compendium deducantur.

TITVLVS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIAE.

§. I.

An & qua ratione Matrimonium contractum contra Interdictum Ecclesiae dirimatur, vel impediat.

Interdicit, seu prohibet Ecclesia nuptias, nonnunquam per Canonem, sive Legem Ecclesiasticam; prout certis temporibus prohibentur fieri non tam matrimonium, quàm nuptiales solemnitates, tempore Adventus v. g. tempore Quadragesimæ &c. nonnunquam interdicit seu prohibet matrimonij contractum Index Ecclesiasticus, qui ob legitimam causam, ne matrimonium contrahatur, prohibet, eò quod priora v. g. sponsalia dissoluta nondum sint, vel

quodd subesse impedimentum timetur. Tertio nonnunquam Parochus ipse contrahentium tale matrimonium prohibet, eò quod v. g. videatur inter contrahentes aliquod impedimentum esse. Quod contra prohibitionem ab Ecclesiastico Iudice, vel Parocho factam matrimonium contrahatur, validum quidem illud erit, illicitè tamen contrahatur, cum prohibitio talis non sit impedimentum dirimens, sed impediens tantum, & si fiat talium conjugum ad tempus separatio, hæc non fiat, quoad vinculum, sed tantum quoad thorum.



§. II.

De aliis impedimentis, quæ non dirimunt, sed impediunt tantum matrimonium contrahendum.

PLura communiter enumerantur, quorum tamen plerorumque nullus hodie usus & praxis est, consuetudine contrariâ licita faciente matrimonia, etiam cum illis impedimentis impediens contracta. Sic primò impedimentum Catechismi, ex instructione scilicet parvuli in ordine ad baptismum proveniente, aut quod aliquis in Catechismo tali pro parvulo respondeat, olim quidem impediens matrimonium inter tales spiritali cognatione conjunctas personas, hodie tamen nulla illius praxis est. Sic secundò sunt varia crimina, quæ olim impediabant, in pœnam scilicet, matrimonia, quale crimen fuit levasse seu suscepisse propriam prolem de fonte sa-

cro, in fraudem debiti conjugalis; patrinum in confirmatione propriæ proles fuisse, animo subterfugendi debiti conjugalis; sacerdotem injustè occidisse; solemnem & publicam pœnitentiam agere; sacrilegè & scienter cum Moniali contraxisse Matrimonium; uxoricidium commississe; sponsam alienam rapuisse; incestum cum consanguineis propriæ uxoris, adhuc viventis, commississe, cum matre aut filia fornicatum fuisse &c. hodie tamen horum impedimentorum impediens nulla est praxis, & nihil contrahenda matrimonia (cæteris partibus) prohibeat, vel impediunt. Impediunt tamen etiam hodie prohibitio à Judice Ecclesiastico facta, sponsalia priora nondum dissoluta, votum simplex castitatis, & nuptiales solemnitates prohibet etiam tempus sacratum prout ex dictis jam patet.

TITVLVS XVII.
QUI FILII LEGITIMI.

§. I.

De filiis legitimis & illegitimis in genere.

QUOD filiorum alij legitimi sint, alij illegitimi, communissima docet; legitimi, vel sunt legitimi tantùm, quales sunt filij adoptivi, non naturâ, sed ex sola lege filij, vel sunt legitimi naturales,

Compend. Parbing.

qui ex legitimo Matrimonio, & iustis nuptiis, veris, vel putativis, nati sunt. Illegitimi dicuntur, qui nati sunt non ex legitimis, & iustis verè, aut putativè nuptiis, & horum alij sunt naturales, qui nati sunt ex parentibus, inter quos poterat esse matrimonium ex solutis v. g. Canonicè non impeditis &c. Spuriij verò dicuntur, qui nati sunt ex parentibus inter quos non poterat conceptionis tem-

T e t

pore